

batus d. trañ. 5. cap. 42. à num. 186. unde concludit num. 194. Nullum illorum, qui mediât, vel immo diât cognoverunt ex confessione aliquod peccatum detectum à Confessario alicujus sui pœnitentis, posse restari in iudicio, quòd Confessarius dictum peccatum revelaverit de Pœnitente. Imò subdit num. 195. multò minus Confessarium ipsum fateri posse in iudicio sine licentia pœnitentis, se revelasse aliis peccatum ejusdem pœnitentis; adeò ut si non præcedat dicta licentia; & testes id deponant in iudicio, ac Confessarius hoc ipsum fateatur, totus processus sit nullus; neque ex eo Confessarius possit puniri ex Menochio, Baldo, Gomezio, Delrio, & aliis, quos refert, & sequitur Dicastrillus De Pœnitentiâ disp. 12. num. 60. Igitur cautè procedant Curie Episcopales in hujusmodi querelis, scientes, licentia Pœnitentis deficiente, non esse licitum inquirere, neque processum formare ob venerationem debitam Sigillo Sacramentali.

Quòd si obtineatur dicta licentia, & probetur delictum fractionis Sigilli, & Confessarius de hoc gravissimo crimine convincatur; pœna antiquorum Canonum erit depositionis, & perpetuæ peregrinationis ex cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. Sed quia eadebat in dedecus Ordinis Sacerdotalis dicta peregrinatio, fuit commutata à Concilio Lateranensi in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. in pœnam perpetuæ detractionis in Monasterio. Diaz in Praxi crimin. cap. 112. Menochius de Arbitr. Jud. casu 414. Thesaurus de Pœnit. part. 2. Verb. Confessio cap. 4. subdens, quòd hodie dicta pœna est vel carceris, vel tritremium, & Reus, ob infamiam, post condemnationem, afficitur etiam pœna irregularitatis. Majolus eod. trañ. lib. 5. cap. 19. num. 6. Porò ubi hæc fractio Sigilli causasset magna scandala, vel notabilia detrimenta pœnitenti, iniquus Confessarius esset degradandus, ac brachio seculari tradendus, puniendusque morte corporali, ut olim factum fuisse Venetis testatur Felicianus de Degradatione cap. 14. quem refert idem Gobatus d. trañ. 5. cap. 42. num. 183. Horrendum quippè est aliud consimile exemplum, quòd legitur apud P. Theophilum Raynaudum in Prælo Spirituali, seu in Centuria Historiarum, ejus Operum tom. 17. num. 13. fol. 604. & transcribitur ab eodem P. Gobato d. cap. 42. num. 197. videlicet, apud Tolosates anno 1579. cum quidam Caupo truculentus exceptum hospitio advenam clam jugulasset, ac in hypogæo sepelisset; post aliquod tempus, pœnitentia ductus, confessus fuit crimen tam immane Sacerdoti; interim parentes advenæ, eo non comparente, fecerunt à justitia proponi præmium illi, qui renuntiarent, si quid de illo scirent. Proh scelus? Cauponis Confessarius, quæstum æstimans pietatem, flocci faciens Sigillum confessionis, revelat iudicibus peccatum sui pœnitentis, & locum sepulti advenæ. Refosso cadavere carceratur Caupo, qui crimen, antequam ad tormenta poneretur, factus est; addens à nullo alio potuisse sciri, quàm à Confessario prædicto. Tunc Senatus Tolosanus apprime Catholicus Cauponem innoxium dimisit; & processum irritum habuit, donec aliundè veniret indicia. Sacerdotem verò Sigilli fractorem, ac sacrilegum, ab Episcopali Curia degradatum, ipse Senatus condemnavit in furcas, in quibus à carnifice, jugulatus est, deinde eius cadaver igne crematum. Hanc Senatus sententiam commendat Homobonus part. 1. Examin. trañ. 5. q. 110. Torreblanca lib. 4. Dæmonologia cap. 7. num. 17. & 18. ac ipse Gobatus ibid. num. 198. & 199. quia processus erat ipso jure nullus, tamquam formatus super sacrilega denunciatione cum violatione Sigilli Sacramentalis. Verùm notant DD. apud Dianam Coordinatum d. tom. 1. trañ. 8. res. sol. 18. & 59. existentibus in Veteri part. 5. trañ. 11. res. sol. 6. & res. sol. 51. quòd supradicta rigorosè

pœnæ, vel mortis, vel tritremium, non insignuntur, sed mitiores, quando Confessarius revelavit non peccata, sed aliquas imperfectiones pœnitentis; vel cum eo tantum locutus est de peccatis confessis absque licentia; excepto casu supradicti defectum præteritæ confessionis; tunc enim absque licentia pœnitentis potest cum illo de peccatis per eum confessis sermonem habere; ut communiter docent Theologi apud ipsum Dianam Coordinatum d. tom. 1. trañ. 8. res. sol. 54. res. sol. 55. & res. sol. 56. ubi tamen ab hac doctrina recedit; sed eam amplectitur, ac defendit Emin. Card. de Lauræa d. disp. 21. num. 279. & seqq.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Agitur de Præcepto tum Divino, tum Ecclesiastico annuæ Confessionis. Ostenditur, quas personas utrumque afficiat? Quando, & quomodo intra annum sit confitendum? Quæ causæ exculent ab annua Confessione? Circa eam Quæstiones diversæ utiles, ac jucundæ. Præcipue, an Papa teneatur confiteri? An Deipara Sacramentum Pœnitentiæ susceperit? Et an peccata confessâ, & remissa in hac vita sint ab omnibus videnda in die Judicii?

SUMMARIUM.

- 1 Præceptum duplex de Sacramento Pœnitentiæ sumendo; Divinum, & Ecclesiasticum. Divinum quas personas, & quo tempore obliget? num. 2. & num. 4.
2 Deipara an Sacramentum Pœnitentiæ susceperit?
3 Præceptum Ecclesiasticum de annua Confessione unde sit? Et quas personas obliget? num. 6.
4 Venialium confessio an possit esse de Præcepto?
5 Papa an teneatur confiteri semel in anno?
6 Annuus quomodo computandus pro Præcepto Confessionis?
7 Confessio quando reiteranda sit eodem anno pluries de Præcepto?
8 Confessione invalida adimpleri Præceptum est opinio damnata.
9 Causæ quinque excusantes à Præcepto annuæ Confessionis.
10 Medicorum obligatio pro Confessione infirmorum.
11 Peccata hic remissa an in die Judicii sint ab aliis videnda?

Estat pro conclusione hujus operis, ut de Præcepto Sacramentalis Confessionis breviter differamus. Est igitur sciendum duplex esse Præceptum de susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Unum Divinum, alterum Ecclesiasticum. De Præcepto Divino præter testimonium Concilii Constantiæ sess. 8. & Florentiæ in Decreto Unionis, habemus definitionem Concilii Tridentini sess. 14. cap. 5. in princ. ibi: peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsi jure divina necessarium existere, & post plura verba finem, ibi: Manifestè resellitur inanis eorum calumnia, qui eam (confessionem Sacramentalem) à Divino mandato alienam, & inventum humanum esse; atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur. Idcirco anathemate feriuntur can. 6. & can. 7. asserentes Sacramentum Pœnitentiæ non esse de Jure Divino. Præceptum verò Ecclesiasticum habetur expressum in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. ac de utroque differunt Eminentissimi Cardin. de Lauræa de Pœnit. disp. 23. à num. 56. & seqq. nec non Matricus in Theolog. Moral. disp. 21. art. 1. num. 131.

De Præcepto Divino Sacramentalis Confessionis duo præcipua disputant Scholastici, videlicet, quas personas afficiat? Et quo tempore obliget? Circa personas concordant omnes, hoc Divinum præceptum afficere homines baptizatos ad usum rationis perventos, qui in peccatum mortale lapsi sunt. Idem Eminentissimi Card. de Lauræa d. disp. 23. num. 98. Eminentissimi Cardin. de Lugo disp. 15. sect. 7. Matricus d. disp. 21. num. 152. novissimè Salmanticenses De Sacramento in genere trañ. 6. cap. 7. punct. 1. à quibus deducitur, ad hoc Divinum præceptum confitendi Sacramentaliter non teneri Infideles, seu paganos non baptizatos; infantes, puerolve nondum usum rationis adeptos; adultos fatuos ratione carentes; neque fideles, qui in gratia Dei viventes non committunt mortalia; et si in venialia labantur. Hinc multò minus hoc præceptum afficit illos, qui ex speciali Dei gratia abstinent à mortalibus, & à venialibus, idcirco Beatissima Virgo Deipara, quæ toto vitæ sue tempore fuit immunis à peccatis tam mortalibus, quàm venialibus ex Trid. Conc. sess. 6. can. 13. non fuit obligata huic præcepto; & quamvis susceperit Sacramentum baptismi, Sacramentum pœnitentiæ non susceperit; cùm nunquam haberet materiam neque necessariam, neque sufficientem hujus Sacramenti. Idem Emin. Card. de Lauræa d. disp. 23. num. 100. 107. & 108. Et Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 2. disp. 18. sect. 3. ubi ostendit, quæ Sacramenta fuerint suscepta à Virgine Matre Dei Sanctissima; & quæ non? Utrum autem Muti, qui non possunt, nec non peregrini, quorum Idioma, qui loquelam non intelligit Confessarius, afficiantur hoc Divino præcepto, ita ut teneantur confiteri per interpretem, nutus, vel scriptum quando idem Divinum præceptum urget, quod solet esse in articulo mortis? Tutor est opinio affirmativa, cessante periculo revelationis, seu infamiae. Ita DD. quos cumulant Salmanticenses d. trañ. 6. cap. 7. punct. 2. Eminentissimi Card. de Lauræa d. disp. 23. art. 6. §. 6. & §. 7. ac etiam Matricus in Theolog. Moral. d. disp. 21. num. 155. & 157. & nos supra Decif. XXII.

Quo verò ad tempus, in quo obligat Divinum præceptum confitendi peccata, distinguunt Theologi obligationem per se ab obligatione per accidens; obligat per se in articulo, & in periculo mortis; ut dictum est supra Decif. XI. n. 2. Hinc dum quis morbo mortali laborat, & lapsus est in mortalia, tenetur ex præcepto Divino confiteri. Item qui se exponit mortis periculo, prout ingredienti bellum, longam navigationem, suscepturi periculosum remedium corporale, mulieres noviter parituræ, vel difficilem partum expertæ; hi enim omnes tenentur ex præcepto Divino confiteri priùs peccata. DD. apud eisdem Salmanticenses d. cap. 7. à num. 1. & seqq. Emin. Card. de Lugo d. disp. 15. sect. 7. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 23. à n. 179. & seqq. & Matricus d. disp. 21. à num. 159. qui omnes deducunt, extra prædictos duos casus hoc Divinum Præceptum non determinasse tempus præcisiuum ex se faciendi confessionem; sed hanc determinationem temporis reliquisse arbitrio Ecclesiæ, quæ determinavit unam vicem saltem in anno in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. ut infra dicemus. Obligat autem per accidens Divinum præceptum tum Sacerdotes administratores Sacramenta, si lapsi sint in mortalia, & habeant copiam Confessarii; tum alios Christi fideles, qui suscepturi sunt Eucharistiam, vel aliud Sacramentum; si pariter peccato gravi maculatam habeant conscientiam, ut iustus, ac rationibus demonstrat Eminentissimi Card. de Lauræa ead. disp. 23. à num. 196. usque in finem. & Matricus d. disp. 21. n. 162. ubi ait, obligationem Divini præcepti non afficere, neque statim post commissâ mortalia, neque si ex di-

lacione confessionis periculum sit obliviscendi eorum aliquod, vel si declinare non possit aliquam tentationem credatur sine prædicto confessionis. Emin. Card. de Lugo d. disp. 15. sect. 4. De Lauræa d. disp. 23. art. 7. §. 5. Gobatus in Experim. Theol. trañ. 6. Casu X. à num. 250. usque ad 262. & nos ostendimus supra Decif. XI.

Circa Præceptum Ecclesiasticum suscipiendi saltem semel in anno Sacramentum Pœnitentiæ, constat de eo in cit. cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss. in quo ita jubetur: Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua solus peccata, semel saltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. Esse autem præceptum, non autem merum consilium constat ex verbis ibidem paulò post sequentibus: Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arcetur; & moriens christiana careat sepultura. Quod latius comprobatur Emin. Card. de Lauræa d. disp. 24. art. 1. §. 2. Cæterùm cùm plurima quæstia faciant Theologi circa hoc præceptum, & varia dubia examinent, ea omnia reduci possunt ad quatuor genera; scilicet ad personas; quæ huic præcepto tenentur; ad tempus, in quo illud est adimplendum; ad modum adimplendi; & ad causas excusantes ab adimplimento.

Quo ad Personas, Regula est sine exceptione, quòd omnes baptizati, cùm ad usum rationis pervenerint, tenentur ex hoc præcepto suscipere Sacramentum Pœnitentiæ; si lapsi sint in gravia peccata; quamvis non sint apti sacram Eucharistiam manducare, vel ex defectu ætatis, vel ex aliquo corporali impedimento, puta tussi, catarrho, aut vomitu, siquidem sunt duo præcepta distincta; illud Confessionis, & illud Communionis; ut docet Gonet de Sacram. Pœnit. disp. 8. art. 2. ac pluribus DD. citatis Collegium Salmanticense d. trañ. 6. cap. 7. num. 25. & seqq. ubi colligit, hoc præceptum afficere etiam hæreticos, & apollatas: eos quoque qui habent tantummodò peccata mortalia interna; non autem eos, qui habent venialia tantùm; vel cum venialibus haberent unum mortale, quòd hic, & nunc ex legitima causa non essent obligati confiteri, ut tenet Suarez tom. 4. disp. 36. Eminentissimi Card. de Lugo d. disp. 15. sect. 7. num. 175. & alii apud Dianam parti. 3. trañ. 4. res. sol. 75. & 125. Quæ resident in Coordinato tom. 1. trañ. 3. res. sol. 6. & 61. Disputant verò hic DD. an Ecclesiæ possit præcipere confessionem venialium? Alii negant, alii affirmant, eosque citant Salmanticens. d. trañ. 6. c. 7. num. 31. & adhærent affirmantibus, prout facit etiam Eminentissimi Card. de Lauræa d. disp. 24. à num. 102. & seqq. ea ratione, quia honestum, ac proficuum est animabus confiteri venialia, & sicut ad hæc consistenda potest quis seipsum obligare ex voto, ita valet adstringi ex præcepto; prout de factò adstricti sunt Monachi Benedictini per Clem. Ne in agro. §. Sanè. De statu Monachor. ubi eis imposita est obligatio confitendi semel in mense; quamvis ex perfectione vitæ, quam faciunt, credantur non habere nisi venialia. Uterius controversunt Scholastici, an Papa sit obligatus huic præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis? Et resolutio est affirmativa ex vi directiva, & ne causetur scandalum fidelibus; negativa autem ex vi præceptiva, quia Supremus Legislator non cogitur stare Legi; idque pluribus rationibus confirmat ipsemet Eminentissimi Card. de Lauræa ead. disp. 24. art. 4. n. 138. & 139. qui limitat; quando Papa vult celebrare, vel recipere, aut ministrare aliis Sacramenta; tunc enim, si sit in mortali, tenetur sicut ceteri homines suscipere Pœnitentiæ Sacramentum. Idem docet Fagnanus in d. cap. Omnis. de Pœnit. & Remiss. à num. 23. & seqq. dicens, Papam vi compulsivam non ligari hoc præcepto de confitendo semel in anno.

no; sed teneri iure divino confiteri, si committat mortalia.

Quo ad tempus adimplendi hoc præceptum de confitendo semel saltem in anno, disputant Moralistæ, quomodo computandus sit annus; & quando intelligatur incipere, ac finire, ut sciat terminus, intra quem huic obligationi possit satisfieri. Alii volunt, esse computandum a Paschate Resurrectionis Dominicæ ad aliud Pascha. Ita Suarez disp. 36. sect. 3. num. 8. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 8. Bonacina alios referens de Pœnit. disp. 3. q. 5. sect. 2. punct. 4. num. 19. Alii dicunt, esse computandum annum ab ultima confessione facta. Bissus in Hierurg. Verb. Confessio Sacramentalis num. 440. §. 6. & 7. Alii è contra volunt esse computandum naturaliter à mense Januario usque ad finem Decembris; iste enim propriè intelligitur annus. Diana Coordinatus d. tom. 1. tract. 3. resol. 53. §. 4. de summa in Veteri ex part. 4. tract. 4. resol. 206. & ita tenent etiam Eminentissimi de Lugo disp. 15. num. 157. & de Lauræa disp. 24. num. 72. qui respondent opinioni contrariæ, eam procedere ex mera consuetudine, seu devotione fidelium, consentientia in Quadragesima, & quidem laudabiliter ob proximam Communionem Paschalem; sed ad implendum præceptum annuæ Confessionis, cum ab Ecclesia non sit deputatum tempus Paschæ, prout fecit per sufficiens Eucharistia, totus annus est computandus ab initio usque in finem; ita ut qui intra hanc latitudinem habens mortalia non fuerit confessus, mortaliter peccet ob transgressionem huius Præcepti. Sunt etiam discordes DD. in resol- vendo, an qui non est confessus hoc anno teneatur confiteri his anno sequenti? Verior tamen est opinio quod semel tantum debeat confiteri, ut demonstrat ipse Emin. de Lauræa d. disp. 24. num. 88. & de Lugo d. disp. 15. num. 180. nec non Gobatus d. tract. 6. num. 277. alioquin sequeretur, quod illi, qui per 20. aut 30. annos vixerunt inconfessi, venientes ad confessionem deberent eam repetere eodem anno viginti, vel triginta vicibus. Ulterius inserunt DD. debere confiteri in principio anni illum, qui prævidet, se deinde vel non esse habiturum Confessarium, vel impediendum fore, ne confiteatur amplius eo anno. Item confessum eo anno venialia, teneri reiterare confessionem eodem anno, si cadat in mortalia; non autem si confessus mortalia, iterum mortalia committat, quia cum jam satisfecerit præcepto, habet novum tempus in sequenti anno pro noviter commissis confitendis; idemque dicendum de mortalibus oblitis, si alia mortalia, de quibus recordabatur, sit confessus; ac etiam de illis, quæ legitima de causa tacuit ob iustum timorem infamie, detrimenti magni, vel fractionis Sigilli. Emin. Card. de Lugo d. disp. 15. num. 167. & alii DD. plurimi, quos cumulat Salmanticenses d. tract. 6. cap. 7. punct. 4. A quibus tamen dissentit Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 24. num. 95. circa peccata oblita, seu omissa; quia licet indirectè fuerint absoluta, sunt tamen subjicienda clavibus Ecclesiæ intra eundem annum, si habeatur copia Confessarii; idè Lector in actu practico ad hunc Emin. Auctorem recurat.

11 Quo ad modum adimplendi hoc idem Præceptum Ecclesiæ de annua Confessione; certum est, adimplendum esse per confessionem validam, ritè, ac rectè factam; siquidem inter propositiones damnatas ab Alexandro VII. anno 1665. collocata hæc

est num. 28. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfaciit præcepto Ecclesiæ; & eam refert Gobatus d. tract. 6. num. 279. Idcirco cavendum est à Doctoribus hanc propositionem probabilem affirmantibus, quos allegat Diana part. 3. tract. 4. resol. 119. collata in Operis ejus Coordinati tom. 1. tract. 3. resol. 50. & qui recentius à Salmanticensibus d. tract. 6. cap. 7. num. 46. 47. & seqq. ubi etiam pluribus rationibus confutantur; idemque fit ab Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 24. num. 92. protestans n. 93. quod neque per Sacramentum validum, sed informe (quando scilicet quis non dolet de omnibus peccatis, ac inculpabiliter, ex doctrina S. Thomæ in 4. disp. 17. q. 3. art. 4. questiu. 1. relati à Salmanticensibus d. tract. 6. c. 5. in princ.) adimpletur præceptum de annua Confessione, & multo minus si confessio sit invalida vel per malitiam, vel per inadvertentiam Confessarii dimittentis pœnitentem sine absoluteione; teneatur enim pœnitens, cum id advertit, iterum confiteri pro præcepto Ecclesiæ adimplendo, ut pluribus argumentis demonstrant Salmanticenses in d. c. 7. n. 50. rejectis, Azorio, & aliis contrariarum scribentibus.

Quo ad causas excusantes ab adimplimento huius Præcepti annuæ confessionis, quique referuntur à Theologis, atque Canonistis. Prima, si fidelis nondum pervenit ad annum discretionis, qui folet esse in septennio; quare Parochi solliciti esse debent in instruendis, ac promovendis pueris ad Sacramentalem confessionem. Secunda, si desit Confessarius, neque ad eum pœnitens accedere possit, nisi per iter nimis longum, ac difficile. Tertia, si timeat aliquid grave detrimentum vitæ, bonorum, vel famæ, si confiteatur Sacerdoti, de cujus prudentia, seu secreti legitime dubitat; & alius non reperitur. Quarta, si aut ratione angustia loci, aut surditatis Confessarii opus sit alia voce confiteri, & ab assistantibus audiri. Quinta, si ob injuriam acceptam non possit fidelis ita cito se disponere ad confessionem; tunc enim quamvis non liceat Episcopo, minusque Parocho prorogare tempus annuæ Confessionis, nefas non est dissimulare, & aliquantulum differre. Ita Suarez disp. 36. sect. 6. Bonacina disp. 5. q. 4. sect. 2. punct. ult. Salmanticenses, qui alios cumulat d. tract. 6. c. 7. punct. 6. Bissus d. Verb. Confessio Sacramentalis n. 440. §. 17. & Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 4. num. 149. qui deinde num. 150. attendendam esse ait tunc Episcopis in præcipiendo, tum Medicis in excoquendo Conf. 3. S. Pii V. Incipientem, ut Medicis desinant visitare infirmum, si post tres dies monitus de gravitate morbi Sacramentalem confessionem suorum peccatorum non fecerit, de qua Medicorum obligatione latè tractat Zacchias in Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 6. tit. 1. q. 4.

Tandem his Decifionibus det finem gravis illa Questio, Utrum peccata electorum hic per Pœnitentiã deleta, sint ab aliis videnda in die Judicii? Negat Magister Sententiarum in 4. disp. 43. Vers. Hic queritur in fin. & alii apud Suarezium disp. 57. sect. 7. affirmat S. Thomas in 4. ead. disp. 43. art. ult. & alii apud Magistrum in Theolog. Mor. disp. 28. num. 51. & 52. ubi pro utraque opinione examinat argumenta. Notabile est, quod dicit Anton. Gulielmus in Reflex. 55. Trinit. disp. 19. in princ. scilicet: Si videbuntur ab aliis, non erit confusio ob factam in hac vita Pœnitentiã; juxta illud D. Ambrosii lib. 2. de Pœnit. cap. 7. Non habet, quod erubescat, cui est remissum peccatum.

F I N I S.

INDEX

I N D E X

VERBORUM, AC RERUM

MAGIS NOTABILIUM

IN HOC TRACTATU

De Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ.



Abbates, aliive Superiores Regularium an possit audire confessiones secularium, sine licentia Episcopi? Decif. 37. num. 26. in fine. Et Decif. 38. num. 26. An possint sibi reservare casus? Decif. 44. num. 6.

Abbatissæ quam auctoritatem habeant in Moniales? Decif. 19. num. 29.

Ablatio rei alienæ vel est Sacrilegium, vel rapina, vel furtum. Decif. 27. n. 23.

Abraham, Loth, & Elifens an commiserint peccatum scandalii? Decif. 26. num. 14.

Absentes quare non possunt absolvi Sacramentaliter? Decif. 16. n. 21.

Abolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ an omnittenda ante absoluteionem à peccatis? Decif. 31. num. 11.

Abolutio à peccatis an sub conditione dari possit? Decif. 35. n. 12. An absenti possit impertiri? ibid. n. 13. & 17. An præsentis confitentis per litteras? n. 16. Quid si absoluteio sit omittenda per oblivionem? n. 17. An sufficiat moralis præsentia ad dandam absoluteionem? n. 18. An absoluteio à Censuris possit dari absenti? Decif. 39. num. 19.

Actus Christianarum Virtutum delent Venialia. Decif. 33. n. 14.

Adam an fuerit Hermaphroditus? Decif. 43. n. 4.

Adulterii circumstantiæ, & peccatorum carnis inter conjugatos quænam sint? Decif. 27. n. 17.

Ætas in peccatore aggravat peccatum. Decif. 26. num. 5.

Afflictiones voluntariæ, præter Sacramentalem Pœnitentiã, an de Præcepto assumendæ? Decif. 3. n. 1. & seqq. An illata nobis à Deo, aut ab hominibus, sint satisfactoriæ pro nostris culpis? Decif. 7. n. 1. & seqq.

Alexander Sperellus Episcopus Eugubinus laudatus. Decif. 10. n. 20.

Alterum significat adinvicem. Decif. 18. n. 1.

Ambrosiana Ecclesia cur incipiat Quadragesimam die Dominico? Decif. 4. n. 9.

S. Ambrosius in auscultandis confessionibus assiduus. Decif. 17. n. 9.

Amor erga Deum duplex, & qualis sit necessarius in contritione? Decif. 2. n. 3.

Androgini, seu Hermaphroditii an dentur? Et qui tales sint? Eorum diversæ species? Decif. 43. per totum.

Angeli an possint absolvere à peccatis? Dec. 37. n. 29.

Angelicam Salutationem recitantibus ad pulum campæ quanta Indulgentia sit concessa? Decif. 9. num. 11.

Animæ damnatæ ob dimidiatam confessionem. Decif. 23. n. 5.

Animæ Religiosorum ac Sandimonialium cur tantæ De Sacramento Pœnitentiæ.

in Purgatorio, si eis est concessa Indulgentia plenaria in articulo mortis? Decif. 33. n. 25. & 26.

Anni Bisextilis cognoscendi Regula. Decif. 24. n. 6.

Annus quomodo computandus pro præcepto Confessionis adimplendo? Decif. 50. n. 9.

Antiquitas Oratorum Ritualis Romani in commendatione animæ. Decif. 18. n. 22.

Apostoli audiebant confessiones Sacramentales. Decif. 17. n. 1. non erant exempti, sed subditi Jurisdictioni D. Petri. Decif. 19. n. 25. Appellare an possint tum Saculares, tum Regulares à denegata licentia audiendi confessiones? Decif. 38. n. 16.

Approbatio pro confessionibus audiendis in quibus consistat, & à quo danda? Decif. 15. n. 28. est necessaria pro validitate absoluteionis. Decif. 37. n. 1. & seqq. Fit duobus modis. d. Decif. 37. n. 9. Potest committi per Episcopum cuiuscumque Viro docto. ibid. num. 15. Datur vel indefinitè, vel ad tempus limitatum. n. 16. Ordinarius, seu Episcopus Diœcesanus approbat quoscumque Confessarios d. Decif. 37. à n. 19. & seqq.

Approbatio pro confessionibus quando expiret. Decif. 37. n. 30. Dubius an expiraverit, utrum possit absolvere? ibid. n. 31.

Arbitrium boni viri circa clausulam Circiter. Dec. 24. num. 17.

Arithmeticæ origo, laus, necessitas, utilitas. Decif. 24. n. 1. & seqq.

Articulus, seu periculum mortis non egit approbatione Confessarii. Decif. 37. n. 27.

S. Athanasius pluries absolutus ab iisdem calumnias hereticorum. Decif. 35. n. 10.

Attritionis significationes variz. Decif. 14. num. 1. Ejus species ibid. num. 2. An sufficiat Attritio pro remissione peccatorum? ibid. num. 7. & seqq. Quomodo transeat in contritionem? Decif. 15. num. 7. & Decif. 33. n. 13. An absque Sacramento ex Dei auxilio fieri possit contritio? Decif. 18. num. 29.

Attritio formalis de Venialibus an necessaria in Confessione? Decif. 33. n. 6.

Auctoris opinio circa Jurisdictionem Confessarium Regularium. Decif. 38. n. 15.

Auditus Organum in quibus consistat. Decif. 22. num. 1.

S. Augustinus declaratus in cap. 1. de Pœnit. disp. 6. & in cap. Sanatum de Consecr. disp. 4. Decif. 18. n. 17. & 20.

Aureus Numerus quid sit? Et quomodo reperiat? Decif. 24. n. 10.

B

Bajamontis Theupoli excidium. Decif. 13. num. 12.

Baronii Cardinalis libertas in monendo Pontifice Clemente VIII. Decif. 36. n. 9.

N 3 Begui.